



22

2/

DE  
M E M O R I A

BREVIS COMMENTATIO PHILOSOPHICA,

QVA

1778, 1.

IN HVIVS FACVLTTATIS

NOTIONEM AC INDOLEM,

TAM IN BRVTIS, QVAM IN HOMINE,

PAVCIS INQVIRIT;

SIMVLQVE

FLORI DELIBATO HVIVS ALMAE,

CLARISSIMIS ET HONORATISSIMIS

DNN. COMMILITONIBVS SVIS,

PROVT MYNERIS RATIO POSTVLAT,

OFFICIA SVA LVBENS OFFERT

GVSTAV SCHADELOOCK,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET METAPHYSICES PROF. P. O.

155  
p 551



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



M E M O R I A

NOTIONEN AUF DEN DOLM.

VON GOTTFRIED H. S. V. S.

STAVENBERG

ROSTOCK  
LITTERIE

121





**H**ominem etsi Deus ter optimus maximus hujus  
 orbis quasi rectorem, rerumque in illo crea-  
 tarum dominum, atque hinc inter reliqua ani-  
 mantia, quorum principarum tener, longe eminentiorem  
 voluit: parem tamen eum in quibusdam rebus, immo haud  
 raro inferiorem brutis esse jussit. Sicuti enim et homo et  
 bruta animalia sunt, sic quoque, quae ex animali natura pro-  
 veniunt, utrisque communia sint necesse est; et quoniam per-  
 saepe brutorum conditio majorem in his exigit perfectio-  
 nem, ut, quod ex defectu rationis et intellectus sentiunt, da-  
 mnum quodammodo refarciatur, majorem illis quam beni-  
 gnissime etiam Deus concessit. Sic ea, prout indigeant, mox  
 robustiore corpore, mox sensibus donavit acutioribus, et va-  
 riis proprietatibus instruxit solo naturae habitu, quas homo  
 aut nunquam, aut non nisi multo labore et diurniore exer-  
 citatio-



citatione perfunctus consequitur. Quis enim tantas vires de se gloriari potest, quantas in leone, in elephante, in tauro aliisque belluis inueminus? quis tam longe et acute videt, quam accipitres, aquilae ceteraeque aues rapaces? quis tanta pernicitate agilitateque artus mouet, quam qua pars auium per auras volitat? quis odoratu canibus, quin etiam insectis quibusdam\*), se aequare potest? quis denique jam ab incunabulis mechanicas artes tam scite sine errore facit, quales per saepe abjectissimus vermis caller et exercet sine haesitatione? Missis autem quae ex corporum simili, saltem in essentialibus neutiquam diuersa, fabrica possunt deriuari, tantum de iis cogitemus, quae in animae facultatibus obueniunt. Quamquam omni fuerunt tempore, qui respectu animarum in brutis earumque naturae a recto veritatis tramite recedentes modo hac modo illa parte errarent. Nec mirum. Quoniam enim tot ac tanta miranda in brutis quotidie videre vnicuique licet, mox similitudinem mox dissimilitudinem, interdum quoque maiorem perfectionem; inde euenit, vt prouiuscujusque ingenio, hic omnia, ille nihil, bruta cum hominibus communia habere crederet. Sic inter antiquos Philosophos inuenies, qui brutis rationem tribuunt, immo qui partem ipsam diuinae mentis, vt in omnibus reliquis creatis, sic quoque in bestiis inesse credunt; alios contra ea, qui negant. Sed inter recentiores quoque sunt partim, qui his animalibus, si non omnem, tamen aliquam rationis partem

ita


\*) De quo notabile exemplum legere memini in collectione insectorum, quam b. Roefel edidit *T. I. Tagvögel Clas. II. num. III. §. 7.*

ita concedere non dubitent, ut tantummodo gradu differre credant hominem et brutum; partim qui rursus eripiant, quod illi larga manu dederunt, et usque adeo eripiant, ut bruta tantum machinas esse contendant. Qui mihi eo magis mirandi videntur, quod vix credibile est, hominem sano sensu praeditum tam exiliter ac jejune disputare posse. Etenim ad hanc opinionem refutandam, me iudice, nihil amplius respondendum, quam: veni et vide. Nemo sane acutius et verius de brutis iudicavit quam Cel. *Reimarus* \*), quo lectorem quoque ablegamus, qui et de opinionibus Philosophorum accuratius se eruditum cupit. Tantum tamen adparet ubique, quod sanior pars Doctorum, et pristini et nostri aevi, de anima in brutis nunquam dubitaverit. Iure igitur credimus, esse in brutis aequae atque in nobis aliquid, quod rationibus sat firmis muniti a corpore diversum putamus, quod vivit et sentit, quodque animam vocamus; ignari ceteroquin, quae ejus sit genuina natura, quam alii et compositam esse posse credunt \*\*); alii tamen non nisi simplicem esse posse pars demonstrasse sibi videntur, pars non quidem exploratissimum at longe putant probabilius \*\*\*); alii denique simplicissimae quamlibet naturae nihilominus extensionem et certam

\*) In sat noto et praeclearo scripto, cui titulus: *Allgemeine Betrachtung über die Triebe der Thiere.*

\*\*\*) Vide inter alios notissimum LOCKE *de intell. human. Lib. IV. cap. 3. §. 6.*

\*\*\*\*) Inter quos tantum nominabo recentissimorum Cel. Dn. FEDER *in Metaph. p. 354.*



cerram figuram attribuunt \*). Nobis hic perinde fit; praefertim quum neque hi neque illi vere explicare possint modum, quo anima, siue sit simplex, siue composita, sentiat, cogitet, iudicet: et sufficiat nobis, quod si, qui fiant istae operationes, quaestio est, et manebit, adesse eas nihilominus experientiam sat abunde docere, quarum aliae tantum in hominem, aliae in hominem simul et in cetera animalia conueniunt, atque hinc partim superiores animae nostrae, partim inferiores facultates nominantur; prout nimirum hae vires aut rationis opem participant, aut sine illa agere possunt. Neminem insuper fugit, referri ad illas animae humanae facultates, quas cum brutis communes habemus, vnam fere Philosophorum consensu inter alias quoque *memoriam*. Arque hoc primum fit, quod hic breuiter attingere mihi proposui.

Quotiescunque brutorum actiones paullo adtendimus accuratius, ejusmodi inuenimus eas, vt omnino anteaclarum rerum recordationem concedi illis necesse esse videatur. Dominum agnoscit canis multis etiam annis peractis; nidum repetunt ciconia, hirundo aliaeque aues anno vertente. Et ne plura dicam, exemplum leonis notum est, qui feruum quemdam, ni fallor, romanum, feris objectum, non solum intactum reliquisset, sed etiam blande palpasse illique caudam iactasse dicitur; posteaquam senserat, esse illum eundem, ad cuius opem ipse olim confugerat. Ex his et similibus, quorum experientia quotidiana vnicuique multa sistit documenta

\*) Quorum antesignanus Ill. Dn. CRYSIUS in *methaph.* legi meretur.



menta; eliciunt, memoriam illis saltem animalibus, quae reliquis perfectiora putamus, a quibus, piscibus, quadrupedumque generibus denegari minime posse. Ego vero, qui hasce experientias non negare possum, credo tamen, quoniam aliter res in brutis, aliter in homine se haber, in determinando, qui tandem sit generalis hujus facultatis conceptus, a nonnullis valde esse erratum.

Vocis quidem memoriae significatum ex usu loquendi vulgari non ubique esse constantem facile largior. Interim si Philosophos hac de re consulere velis potius, non majorem inuenies consensum. Omnes explicant prout vel huic vel illi parti student. Permulti ita definiunt, ut parum aut nihil intersit inter memoriam hominis et brutorum, vel ut tantum de homine cogitasse videantur; et qui cum Cartesianis hic nihil nisi machinas cernunt, ne analogicum quidem quid videre possunt. Mihi quidem praecipue res sit hic cum Wolfiana definitione. Nominat vero Illustr. WOLFF memoriam *facultatem cogitationes reproductas recognoscendi.* \*) Et qui illum presso pede sequitur Clariss. ille BILFINGER \*\*) memoriae vocabulum non male accommodari dicit illi facultati, qua, si pristinae ideae redeunt in mentem, agnoscimus illas pro iis, quae olim adfuerunt. Quam quidem definitionem nescio an quis limitauerit, qui ex illa sit familia, et ad humanam memoriam tantum retulerit, ut igitur eam pro genere et communi notione habere debeamus. Quae tamen notio non pariter adplicari potest, credo, in brutis atque in hominibus.

Secun-

\*) In *Psychologia empirica* §. 175.

\*\*) In tract. de Deo, anima humana et mundo Sect. III. cap. 2. §. 266.



Secundum illam distinguitur memoria ab imaginatione, quae ideas ante habitas occasione aliarum recentiorum reprod-  
 ucit, sic vt illa ex hac tanquam ex fonte suo promanet; ne-  
 que memoria omnino inesse possit illi, in quo nulla conceditur  
 inesse phantasia; ita tamen, vt adhuc alia adcedere vis debeat  
 ope cuius nimirum anima certior euadat, esse hanc repro-  
 ductam ideam vere eandem, quam habuerit antea. Atque  
 hoc vocatur recognoscere. Quod quoniam nulla obtineri  
 alia ratione potest, quam comparatione, adparet ex data de-  
 finitione, quod memoria nascatur ex phantasia et facultate  
 comparandi. Itaque alterum alterius est antecedens et con-  
 sequens, vt, quemadmodum, si quis careat imaginandi facul-  
 tate, non habeat, quod comparet, sequatur, nullam esse  
 memoriam, vt maxime reperiatur in ente quodam vis imagi-  
 nationis, nisi et vi comparandi sit praeditum. Iam vero in  
 homine et illam et hanc facultatem sine vlla dubitatione nemo  
 negabit. Probat enim vtramque experientia; probat hanc  
 vltimam homini competens ratio, qua de duarum vel plurium  
 rerum conspirante consensu et aequalitate iudicari posse, nul-  
 lus vnquam dubitauit. Quare cur in homine de memoria  
 quaeratur nulla causa subest, etiamsi nec quotidiana edocere-  
 mur experientia. Sed ne quis ex his memoriae requisitis du-  
 biter, an sit quoque eadem brutorum conditio, illisque com-  
 petat memoria, vtpote quae rationalem sortita non sunt natu-  
 ram, diuidunt Doctores Wolfiani comparationem in aliam,  
 quae fit distincte, et aliam, quae confuse peragitur. Hanc  
 sine ratione et intellectu absolui, ergo brutis concedendam  
 affirmant, ideoque memoriam.

Sed

Sed quo jure haec distinctio admittatur nescio. Etenim quoniam comparat, qui duarum vel plurium rerum consensum cognoscere laborat; qui utrum conveniant, an discrepent earum praedicata determinare nititur: nemo mihi omnino posse comparare videtur, nisi qui praedicata dignoscat, hoc est, nisi qui ideam distinctam habeat rerum comparandarum, et cui sit facultas, ex collatis inter se praedicatis determinandi, quid sit in pluribus idem, quid sit diversum. Itaque ex ipso conceptu comparationis illam tantummodo fieri distincte elucet; gradibus tamen differre; confusam vero comparationem esse nullam. Accedit, ut iste conatus de convenientia idearum cognoscendi, qui, me quidem iudice, actum comparationis necessario antecedere debet, modo in illo ente cogitari quaeat, quod rationis particeps est.

Iam vero esse in brutis distinctas rerum ideas neutiquam affirmari potest, quippe quae sibi non sunt conscia.\*) Aliud enim est luculenter sentire mutationes corporis a rebus exterius profectas, aliud conscium sibi esse sui suarumque idearum. Hoc est entis intelligentis proprium, illud jam quadrat in id spirituum siue animarum genus, quod in brutis vivit et sentit et primam classem spirituum constituere mihi videtur.\*\*)


Nam

\*) Vid. CRUSIUS *l. c.* §. 444. III. WOLFF contendere, bruta sibi perceptionum suarum esse conscia, et habere perceptiones totales distinctas, constat ex *Psych. rat.* §. 751.

\*\*\*) Quae enim in Zoophytis et Lithophytis vivit anima, a communi brutorum animae natura non abhorreere credo; et quae in illis adparet imperfectio inde oritur, quod corpus magis et perfectius organifi-

B

rum



Nam omnis spiritus quamquam est quidem ens, quod cogitare et velle potest, tamen quoniam rē cogitare variae species et multi gradus esse possunt, merito hunc primum constituimus, si quando ens facultate praeditum est, ex mutationibus, quae corpori, quocum conjunctum est, eueniunt, formandi ideam objecti illius externi, quod harum mutationum fuit causa, hoc est, repraesentandi objectum hocce, et quidem sibi. Etenim hoc est, cur speculo, etsi imaginem quamdam repraesentat, si quidem hanc imaginem non sibi, sed aliis repraesentat, spiritum inesse non dicamus. Quodsi esset creatum specuilforme, quod toto corpore radios lucis caroprince exciperet, et remitteret, sibi tamen imaginem repraesentaret, seque huic repraesentationi conuenienter ad actiones determinare posset: \*) esset utique in illo juxta ac in brutis  
spiritus

tum habitare illis non sit datum. Ergo non nouum constituunt spirituum genus.

\*) Tale animal quidem adhuc inuentum est nusquam; nec ut existere possit verisimile videtur. Interim similitudinem quamdam deprehendimus in illo Zoophytorum genere, quod hydra (armpolyp.) vocatur, quodque licet nullis oculis sit instructum, in quantum lucusque detegi potuit, tamen luminis sensum habere videtur. Vnde etiam Cael. REIMARVS in disquisitione: *von der Natur und den Eigenschaften der Pflanzenthier*, quam adpendicis loco ad b. Patris tract. *von den besondern Arten der thierisch. Künste*, adiecit, non temere coniecit, pag. 206, dispositionem quamdam totius corporis ad percipiendum radios lucis, quamuis sine imaginibus distinctis; *Solte nicht, iniquens, vielleicht der ganze Nervenmarck dieses zarten gallerichten Körpers, an dem keine Augen befindlich sind, den Dienst der netzförmigen*

spiritus ejusdem generis, cui ad minimum sentiendi facultas competere deberet. Atqui hac sola sentiendi facultate instructa alias res adpetunt, alias auersantur bruta, prout sibi ex diuersis objectis, diuerso modo agentibus, diuersas formarunt ideas; ipsius diuersitatis autem sibi non sunt conscia, et tamen illa vtiliter vtuntur. Quoties vidi et miratus sum exempli causa gallopauos, et imprimis gallinas, si casu miluim aut falconem conspiciunt tam sublime volantem, quem vix humanus oculus percipiat. Cur pauent, et demissa cauda, erecto collo, et capite mox sinistrorsum mox dextrorsum verso, quaerula voce obseruant auem supra caput haerentem, quem in vrbe natae et altae vix semel viderunt, cur aue descendente et adpropinquante anxie discurrunt? Num quod noxiam auem ab aliis distinguant, et imminentis periculi sibi consciae sunt? minime, sed quod ita a creatore institutae ac imbutae sunt, vt ejusmodi adspetus illis ingratus non nisi pauorem exitare possit. Ex quo sequitur, vt bruta nihil distinguant ideoque nihil comparent.

Ergo aut, dum comparatio, vt constat, ideam productam esse vere reproductam, necessaria ad memoriam est, in brutis datur nulla memoria, quoniam non comparare possunt; aut si habent quamdam anteaearum rerum recordationem, ista recordatio omnino sine recognitione ideae vt reproductae, atque hinc absque comparatione peragi potest: vt igitur


*migen Augenbau thun können, wenn gleich kein DEUTLICHES Bild dadurch vorgestellt wird? efficit me iudice, ut animal habeat aliquem sensum rerum externarum etiam ope radiorum lucis.*

tur definitio wolfiana definito sit angustior, et ad id, quod in brutis vocamus memoriam, nullo modo applicari possit. Atque inde consequens est, ut distinctio inter memoriam rationalem et sensitivam litem non dirimat, quippe quae iisdem fundamentis superstructa est. Requiritur enim ubique ex sententia Auctoris, recognitio idearum ut reproductarum. Ergo ubique est conscientia, jam semel alio quodam tempore adfuisse has ideas, id quod absque comparatione esse nequit, quae in bruta per antea dicta non cadit, in quibus omnino ne confusa quidem conscientia pristini status, ut pristini, cogitari potest. Interim non inficior, dari de convenientia duarum rerum etiam confusam ideam sensualem, eamque locum habere in caeteris animalibus, prout deprehendimus eam in infantibus; quae videlicet oritur ex nudis convenientibus perceptionibus duarum vel plurium rerum organum sensorium *uno tempore* congruenter excitantium. At quis est, qui non videat, ne hoc quidem evenire posse, nisi in sensationibus simul existentibus, non autem in idea quadam ab imaginatione prolata, quae cum olim habita non simul existit, et de cuius consensu non ex sensatione, sed ex comparatione certior evadit anima tantum rationalis. Itaque brutorum naturae magis convenit, si, quae in illis adparet pristinorum rerum recordatio, illam omnino sine ulla recognitione esse contendimus. At tali modo nulla restat differentia inter brutorum facultatem imaginandi et eorum memoriam! Fac nihil differre. Quid interest, dummodo viuida idearum reproductio illorum necessitatibus sufficiat. Interim omnino datur differentia, Aliud enim est, ideas servare, aliud servatas data

data occasione reproducere; illud est memoriae, hoc facultatis imaginandi. Quodsi enim nihil esset in anima asseruatum, quid, quaequo, imaginatio in simili casu reuocare et tanquam praesens sistere posset? Qua de re exemplum habemus in nobismetipsis, si alicujus rei prorsus obliti sumus, ut nullo modo reminisci possimus. Quare generatim spectata memoria nihil aliud est, quam facultas in anima conseruandi ideas, ut suo tempore ab imaginandi facultate quasi e somno exfuscitentur. \*) Quo facto hominum memoria longissime distat ab ea facultate, quam huc vsque in animalibus brutis hoc nomine indicare consueuimus; nec vna eademque definitione wolfiana comprehendi potest.

In homine fit facultas recognoscendi seruatatas cogitationes ab imaginandi vi reproductas; et proueniat ex antecedente quadam comparatione, quoniam in hominem quadrare ejusmodi quid potest. In brutis autem fit sola facultas asseruandi ideas ex sensationibus olim habitis, ut data occasione reuocari quaeant. Quae igitur facultas etsi hominibus vna cum

\*) Eandem fere opinionem fouere videtur doctus vir PLATNER in tractatu nuper edito sub titulo: *Philosoph. Aphorismen* §. 267. ubi *memoriam* nominat: *Die Behaltbarkeit der Ideen*. Verum hic conceptus, me quidem iudice, non hominis memoriam solam insignire potest, sed pro idea superiore haberi debet. Neque adeo nouam esse hanc notionem ipse confitetur, quum jam *Plato* memoriam nominauerit *συντησιαν αἰσθησεων*. Qua tamen denominatione non tam facultatem animae, quam potius locum in cerebro indicasse videtur, cerebrique constitutionem quamdam.



cum brutis vtiq̄ue communis est, hoc tamen habent homines proprium, vt adcedente comparatione sibi conscii esse possint, esse hanc ideam vere eandem, quam antea jam habuerint; atque tum quoque vere memoriam rei habere iure dicantur. Atque hoc eo magis, quod, si quis cogitationem habeat rei antea quidem cognitae, neque tamen illam consideret, vt antea a se cognitam, is neutiq̄am habere memoriam entre rationali dignam illius rei dici potest. Est ergo in homine et idearum conseruandi facultas, et memoria proprie sic dicta; in brutis tantummodo prior facultas, quae in his solo ministerio sensuum peragitur, in illis vero tam sensibus quam mente.

Neque plura desiderantur in brutis, propterea quod haec sola facultas sufficit ad explicandum omnes actiones, quae memoriam striete sic dictam prae se ferre videntur; neque vnquam est recognitio conuenientiae necessaria. Gaudet enim, exempli caussa, canis de domini reditu et tripudiat, non quod ex comparatione, neque distincta neque confusa, recognoscit dominum, et recordatur scilicet de bonis olim ab eo acceptis etc. sed quoniam, dum res praesens se iterum sensibus externis sistit, quae antea illi ex consuetudine grata erat, excitatur eadem idea conseruata sensationis iucundae, quae sese cum ipsa sensatione coniungit, et quam ex mechanismo corporis idem effectus gaudii sequi debet. Redeunt ad cubilia aues exulantes non quod nidum recognoscunt, ejusque memores sunt; sed quoniam, quum ex instinctu quodam ad mutandum regiones feruntur, adpectus ejusdem regionis, totiusque loci, quo nidum construxere, ipsiusque nidi ita illas mouet,



mouet, vt in anima residens idea hujus sensationis, olim gra-  
 tae, quasi reuiuifcat; atque hinc eodem nido vtantur, quem  
 antea frequentauerant. Et sic in reliquis omnibus. De quo  
 eo minus dubitandum, quo certius est, vllius vnquam rei in  
 brutis quasi recordatio vt existat fieri non posse, praeterquam  
 quae certo modo in sensus iterum incurrit, et ex simili sen-  
 satione excitatur, aut quae pars fuit sensationis olim habitae.  
 Sunt enim in brutis tantum repraesentationes per sensus aut  
 imaginationem ortae, quae si sunt diuersae, diuersos habeant  
 effectus necesse est, licet bruta non vt diuersas cognoscant;  
 ita vt quodammodo adfirmare liceat, illa patentibus oculis et  
 auribus nihil videre et audire, vtpote quae de omnibus re-  
 bus, quas vident aut audiunt, nihil cogitant, et nullius hinc  
 rei cognitionem sibi acquirere possunt. Sentiunt tantummo-  
 do. Et quod modo eodem sentiunt, quo antea, priorem aut  
 cupiditatem aut horrorem excitat; quod autem diuerso modo  
 in illa agit, non prouocat pristinam sensationem, licet con-  
 iunctissimum illi fuerit. Atque inde oritur error, quem tam  
 saepe in brutis obseruamus. Sic igitur nunquam de domino  
 ideam quamdam habebit et sentiet aliquid canis, nisi, si non  
 oculis tamen naribus praesens est, vt maxime quoque occur-  
 rant, quae olim simul cum domino suo senserat. In homine  
 autem haec facultas longe perfectior non solum externarum  
 sensationum, sed aliarum ideas, et interdum abstractas; neque  
 tantum occasione alicujus sensationis conjunctae, sed quoque  
 alterius ideae cognatae reuocat, et vt reuocatas agnoscit.  
 Hoc ergo intersit inter memoriam hominis et brutorum ide-  
 as sensitivas conseruandi facultatem. In quo tamen ingenue  
 con-

confiteor, idearum in mente conseruationem esse arbitrato meo etiam in homine huius facultatis praecipuam perfectionem, magnique ponderis.

Huic memoriae adfinis est reminiscencia, facultas nimirum obliteratedam ideam aliquam ex antecedentium concomitantium et subsequantium memoria recognoscendi, ut antea iam habitam. Reperuntur per eam, quae ex anima exciderant, neque tamen ita, ut redire prorsus nequirent; eliciuntur ex comparatione, non raro admodum operosa, aliarum adhuc memoria comprehensarum nobisque consciarum; recognoscuntur tandem et habentur pro iisdem, quae olim adsuerunt. Quibus propositis satis adparet, illam esse homini propriam, nec unquam in brutis euenire posse. Itaque longe discrepant inter se memoria et reminiscencia \*). Per illam conscii nobis sumus simul ac idea redit, eam esse ex numero earum, quae iam antea in nobis alio tempore exstiterunt; per hanc disquisita, et euoluta similium et dissimilium copia, demum hac de re certi euadimus: in illa data occasione semper praefens

\*) Supra laudatus Dn. PLATTNER l. c. §. 268. *reminiscenciam* vocat; *die durch das Bewußtseyn des wirklich vergangenen, oder abwesenden besonders bestimmte Wiedervorstellung der Ideen.* Unde adparet reminiscenciam illi esse, quam in antecedentibus proprie dixi vereque et homini competentem memoriam. Ideoque acutissimo viro nihil interesse videtur, inter memoriam alicujus rei habere, et ejus reminisci. Sed re accuratius considerata, quoniam tres sunt actiones animae nostrae: ideas conseruare, conseruatas recognoscere, et denique quodammodo deletas alias per earum connexas in mentem reuocare; meo quidem sensu haec tria probe essent distinguenda,

fens est, et sic conseruata idea, vt ab imaginatione statim sup-  
 peditari possit; in hac vero deleta ad tempus et quasi mortua  
 excitatur, vt perscrutatione peracta aliquando ejus notitiam  
 nanciscamur, quod obliui quodammodo eramus. Locum  
 ergo habet reminiscentia, si quidem idea ipsa conseruata est,  
 non tamen statim agnosci potest. Quamquam haud raro  
 commutatur memoria cum reminiscentia, vt illum de lapsu  
 memoriae accusemus, qui suppeditatis quamlibet vel ipsa idea,  
 vel saltem ejus connexis aliis, nihilominus recordari nequit.  
 Interim quamuis re adcuratius considerata in facultate remi-  
 niscendi lateat hoc vitium, tamen quum rei nullius remi-  
 niscentia cadat in nostram potestatem, quae plane ex memo-  
 ria exciderit, vtique etiam in culpa erit memoria, cujus vide-  
 licet est, ideas seruare, et meminisse has esse seruatas.

Ergo omnis eo reuertitur res, vt sedulo conseruentur ideae.  
 At quis tandem ille locus, quo tot ac tantarum rerum insitas  
 et quasi consignatas in anima notiones habemus? et ille mo-  
 dus qui tandem est, quo animus inuestigat quasi obruta, quo  
 inuenit recondita, quo collocat noua tam diligentissime, vt  
 prioribus non modo non noceant, sed etiam subleuent, et  
 antiquissimorum adhuc in mente praesentiam non raro indi-  
 cent, perinde atque illud, quod iuxta vitrum positum sono  
 indicat, se ad vitrum allisisse. Haec admodum sane miranda,  
 et omni aeuo stupenda visa sunt. *Vtrum*, inquit Cicero \*),  
*capacitatem aliquam in animo putemus esse, quo tanquam in aliquod*  
*vas ea, quae meminimus, infunduntur? Absurdum id quidem.*

\*) Tuseul. Quaest. Lib. I.

Qui

C



Qui enim fundus, aut quae talis animi figura intelligi potest? aut quae tanta omnino capacitas? An imprimi quasi ceram animum putamus, et memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? quae possunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia? Hoc neque Cicero, et post illum, aut ante illum, vllus vnquam alius priscorum explicuit; neque recentiorum et nostratium quisquam, quid sit in anima, aut quale sit, et quo fiat modo, enodare potuit.

Profecto in tanta ignorantia, in qua respectu animae nostrae ejusque cum corpore conjunctionis versamur, quam quidem tollere nobis non licet, dedecori esse posset philosophorum nemini, si se nescire potius fateatur, quam leues conjecturas proferat. Qui enim vnio et commercium animae et corporis quale sit non habet compertum, quomodo is explicare potest, qua ratione anima in corpore et per corpus exercent memoriam? Quodsi obseruare voluissent philosophi tam antiqui, quam recentiorum permulti, non tot paradoxa in medium protulissent, neque tamen minus philosophi haberentur. \*) In primis hic aberrant, qui nimio amore systematis influxus physici, nimis quidem physici et materialis, trahuntur. \*\*) Qui in primis scire auer, quid *Aristoteles*, quid

\*) Exemplum dat Cael. BÜRFINGER l. c. Sect. III. cap. 2. §. 260. ubi fateor, inquit, me id nescire cum ignarissimis, nec ideo quidquam laudi suae detraxit.

\*\*) In Harmonia enim praestabilita, in qua vtraque pars per se valens, altera alterius auxilio non eget, tam imaginularum, quam idearum materialium, cerebrinarum, vestigiorum, et quaecumque sunt nomi-


quid *Plato*, quid *Plutarchus* etc. hac de re judicant, adeat jam supra nominatum *Platnerum* \*), et inueniet, recentiores hic nihil habere noui, dum in cerebro quasi primam causam vt omnium idearum ita et a memoria reuocararum latere venditant. Mihi medullae cerebri infixae vestigia perinde incredibilia videntur, quam quae ipsi menti impressa quis crederet. \*\*) Certe, si memoria ex hoc fonte proflueret; si a motu fibrilli, aut vestigijs et imagunculis relictis ideae pristinae et tanto saepe temporis tractu velut exescae, reuocarentur, cur non istae ideae omnes, quotquot sunt, semper animae, velit nolit, praesentes sunt, si perdurant motus, aut vestigia? sin interrumpuntur, et reciprocant, ita vt stato tempore redeant, quid est id, quod illos motus denuo inchoat? quod ad tempus

deleat

na, quibus insigniantur, nullus, quantum ego sapio, esse potest usus. Animae non profunt, quippe quae ex se ipsa ideas euoluit, contubernalis sui rationem non habens, nec quaerit, quo modo et quibus subsidijs corpus sua negotia peragere velit, secuta illud non defuturum, si necesse est, ideas extrinsecus exsequi et cum alijs communicare. Corpus multo minus eis opus habet, quod nihil intelligens, non ad normam et exemplar propositum, sed ut diuinitus fabricatum est motus suos stato tempore peragit. Quid enim obstat, machinam ita a Deo instructam credere, ut certis temporibus certos motus repetat, etiam sine relictis vestigijs prioris motus? Praesertim quum exiguitas loci, et per nutritionem continuo mutata ratio cerebri tam vehementer reclamant.

\*) l. c. pag. 80.

\*\*) Merentur hac de re legi oculatissimi viri D. TRALLER de animae existentis immaret. et immort. cogitata, Vratisl. 1774.




deleta vestigia renouat, et fortius imprimat, vt diutius permanere possint? Num forte anima sibi haec ipsa gratificatur? Sine dubio hos labores vel coacta suscipiet, dum ipsas res, quarum ideas cogitare vult, organa sensoria non amplius percipiunt; et si perciperent, tamen inde extinctum vestigium, quod quaeritur, neque instauraretur neque fortius imprimeretur, sed nouum quoddam potius signaretur. Nam iterum iterumque eandem habuisse sensationem nihil ad conseruandum ejus vestigium attinere potest. Alias enim anima de ipso numero sensationum nihil certi haberet, si quando et ejus recordari vellent, quoniam via quidem sat trita non simul indicat, quoties calcata sit? Ergo ipsa anima renouat vestigia, motusque producit ideis conuenienter iis, quarum reminisci vult; ipsas ideas vero nescit, nisi ex vestigiis aut moribus. — Absolum sane, conscius sibi non esse ipsius ideae, et conscius sibi esse, qualis motus, aut quale vestigium huic vel illi respondeat ideae? Hoc esset cogitare antequam rem cogitandi adesset facultas. Quid vero! si pars cerebri turbatur, attamen non capitali laesione, quo tandem modo restaurantur in hac medullae sanata parte olim latitantia vestigia? quid, si tota machina corporis destruitur, et cerebrum, juxta ac reliqua omnia viscera, vermibus roditur et comeditur! ubi tum vestigia conseruantur et motus? quomodo ab interitu vindicantur? Quodsi autem non conseruantur, si penitus perdita sunt; quid inde sequitur aliud, quam vt post mortem a corpore solutae superstiti animae nulla sit pristini status conscientia; \*) neque eidem post resurrectionem cum corpore rursus

\*) Conf. Scripsiuncula; Etwas von materiellen Ideen.

rursus conjunctae vlla anteaearum rerum recordatio. Nisi forte remanere credas in primis staminibus, in neutiquam destruendis cerebri elementis, omnium idearum incredibilem numerum vestigiorum \*). Quod quam foret absurdum, immo prorsus repugnans, facile adparet illi, qui in simplicissimo, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex admitti posse concedit. An tibi persuadere velles, Deum die resurrectionis ipsum omnes imagines, s. vestigia, in nouo cerebro restitutum et denuo inditurum. At, quaeso, quot est in illis prauum et peruersum, num etiam hoc restituet et imprimer Deus? Itaque vestigia vtique non sunt admittenda ad explicandum memoriae naturam et rationem. Ipsa potius vis est animae insita per se pristinas cogitationes resuscitare, neque ad id negotium cerebro indiget alio modo, quam quo reliquo corpore ejusque tam fluidis quam solidis partibus vti necessum habet, qui tamen modus plane nobis incognitus est.

Sunt insuper, qui ad explicandum causas et mirabiles praesertim memoriae effectus cerebri rationem habendam esse putent ideo, quod intra illud spiritus animalis ab objecto externo commotus vibretur, et patentiores sibi, itu redituque, aperiat vias, quibus viis deinde repetere possit eosdem motus, animaeque ideam data occasione suppeditare facilius. Mihi vero non haec quidem meliora videntur, quam quae de vestigiis

\*) In medullae particula, quae grani pondere sit, facile 205452 vestigia inesse posse dicuntur. Quo quis ergo majore capite instructus est, eo aprior ad studia.



gūs in mente ipsa aut cerebro signatis dicantur; atque ejusmodi cerebrum cariem sentienti ligno comparandum videtur, in quo canaliculi vltro citroque tendentes significant, teredinem vltro citroque rosisse. Et mirum sane, cur spiritus vitalis easdem vias reperire sciat, et anima eandem ideam reperire nesciat? Certe, si tales in cerebro patefactae viae existerent, non minus mirum esset, cur memoria in senibus inualida, quam quod ejusmodi ligni nullus sit vsus.

Quodsi denique ad recordationem tam est necessaria cerebri, et generatim corporis spirituumque vitalium conditio, quae tandem illa concipi potest in illis entibus, quae, quoniam animalia non sunt, corpore non gaudent? Nisi vero aut cum *Leibnitz* et *Baumgarten* aliisque fieri posse neges, finis spiritus vt sine corpore existat; \*) aut hanc memoriae indolem


\*) Ccl. *PLATNER* l. c. postquam §. 97. quaestionem proposuit: *Sind überhaupt endliche Geister möglich, welche ohne körperliche Verhältnisse mit klaren und deutlichen Vorstellungen denken?* adfirmat, non repugnare systemati harmoniae praestabilitae; systemati influxus vero physici hoc contradicere illi videtur (— *scheinet unmöglich in dem System des physischen Einflusses.*) Interim qui hoc systema solum admittit in quantum inde explicari possit modus, quo spiritus corpore praeditus per corpus agat et sentiat, is non simul negat, dari posse spiritus sine organico corpore. Ab eo enim, quod spiritus in corpore quodam inclusus legibus influxus physici esset additus, non sequitur, spiritum omnem, nec hunc ipsum quidem, neutiquam nisi ministerio corporis cuiusdam rerum externarum cogitationes habere posse. Sufficit, tam diu secundum systema non posse, quam diu corpori vnitus manet. Qui vero systema hocce ita extendunt,



indolem tantum in homine concedi debere contendas. Verum enim vero etiam si largiamur, praeter Deum nullum fortasse existere spiritum sine corpore, tamen et hic eadem maneret ratio et difficultas, copiose in antecedentibus tradita, quare hic modus reminiscendi neuiquam esset admittendus. Sin autem spiritus a corpore liberi, et nihilo minus memoria instructi credendi sunt, efficitur ut memoria sit facultas spiritui propria; cur igitur non eandem humana quoque anima facultatem habere et exercere posset sola potius, quam demum per corpus excitata et prouocata: praesertim quum illi magis hoc congruens sit, quam corpori.

Quare certo adfirmare licet, hanc facultatem, ejusque usum animae per se competere, non quatenus a corpore suppeditatur; ideoque patentes et planiores per cerebrum vias, et vestigia in cerebro quaecunque sunt impressa posse causam memoriae neuiquam esse efficientem. Quamquam non nego,  
et

ut quemlibet spiritum, creatum intelligo, non propria vi, sed mediate tantum per influxum materiae, externi mundi representationes habere putent, non necesse habent, cuiilibet sibi proprium et constans assignare corpus, dummodo cum III. *Crusio in metaph. p. 703.* illi aut alio jam existente, aut ab ipso sibi fabricato corpore, si opus habeat, pro arbitrio utendi concedunt facultatem. Donec igitur influxus systematis assecla non omnem neget in spiritibus absque corporeo nexu claram et distinctam cogitationem, constans sibi vique esse potest, etiam si finitos spiritus sine corpore credat. Num autem reuera sint ejusmodi spiritus a Deo creati alia disquisitio est. Quod in primis ad necessitatem corporis humani adtinet, equidem non credo, ita necessarium esse animae corpus, quatenus est spiritus, ut sine illo esse  
prorsus



et hanc facultatem conseruandi et reproducendi ideas, aequè vt reliquae omnes, in illo genere spirituum, quas animas vocamus, ad certum quemdam modum restringi, et mox ratione vsus perfectiorem mox euadere posse deteriorem a corporis physica natura, eodem nimirum modo, quo per cerebri constitutionem anima in reliquis omnibus operationibus impediri retardarique potest. Meminisse igitur et tot rerum copiam conseruare et reproducere non a corporis sed animae natura est repetendum, ad quod ideae materiales non requiruntur.


Dantur autem varii gradus memoriae in hominibus, vt non raro hujus stupidam non minus, quam illius stupendam praedicemus memoriam, cuius rei quoridie fat multa obueniunt exempla, quorum et priorum collectio eandem praebere et iucunditatem et vtilitatem, quam haurimus ex illis, quae a quibusdam, inter quos Morhofium in Polyhistore nominare lubet, de eximiae et praestantis memoriae effectibus prodita legimus. Dantur innumeratae quasi species hujus facultatis, vt

qui  
 prorsus nequeat; ideoque post mortem hujus materialis corporis, vtique alio aut jam a principio mundi existente, aut tum demum a Deo creato subtili corpore circumscribi deberet; quamquam probate non sustinebo. Attamen hoc mihi adfirmari tuto posse videtur: Diuinum Numen humanam animam non nisi cum humano corpore vnitam voluisse, ita, vt sine acerbissimo quodam doloris sensu vtique corporis orba esse non possit; peccata autem introduxisse dissociationem cuius suo tempore subeundam; vnde factum, vt anima post mortem hujus corporis vsque ad resurrectionem corpore suo priuata manere et sic poenae partem luere debeat. Alias enim mors ipsa naturalis poena haberi non posset, si anima aequè bene se haberet absque corpore, quam in corpore. Qua de re fortasse alio tempore,

qui in hac vel illa re omnia mira celeritate arripit et tenacissime retinet, idem in alia quadam re tam tarde discat, et quod summo opere tradidit memoriae tam celeriter amittat, ut circeo poculo inebriatum illum crederes. His fida memoria ultro suppeditat in tempore quidquid huc pertinens viderint, legerint, audierint; illis contra semper opem denegat, nec vel supplicibus, ut ita loquar, succurrit. Cujus diuersitatis variae rationes numerantur. Siue enim in se tanta indolis varietas animarum, quantam in corporibus et in reliquis mundi creatis ubique inuenimus, quare altera alteram adsequi, ut maxime cupiat, non possit. Siue prouenit ex sola corporum, quorum carceribus inclusa est anima, diuersa conditione, et mixtione sanguinis, quae animae vires, modo has modo illas, deprimit, prohibetque quominus emergere altius possint. Siue denique, ut nonnulli credunt, quod quantum exerceantur tantum corroborentur virtutes animae, ita ut, quemadmodum omnes, modo cultura adcedat, ad eundem eleuari possint perfectionis gradum, sic quoque alias negligendo deteriores, alias exercendo excellentiores reddere possimus: ut igitur omne vitium debilis et infidelis memoriae lateat vnice in neglecta cura. Interim quod ad vltimum adtinet, vtrum omnes animae facultates in quouis homine adhibita exercitatione ad eandem perfectionem extolli possint, valde dubitandum credo illi, qui mire diuersos effectus animarum accuratius paullo consideret, etiam in iis, qui ingenii culturam minime negligentes minime tamen se cum ceteris exequare possunt. Sunt enim vtique animae

D

vires,




vires, teste experientia in quouis homine, ad aliam atque aliam artem vel scientiam alio atque alio modo natura determinatae, ita vt alter sedulo licet edoctus vel nihil capiat, alter vel omnia antecapiat; quae quidem determinationes, inclinationes, dispositiones, aut quo velis nomine adpellare, probant, quod ajunt, non ex quouis ligno fieri Mercurium. Quare etiam hujus animae facultatis diuersam naturam ex hoc riulo, ex negligentia nimirum, deriuare non poterimus, qui quidem ipsius animae naturam vbique plane eandem concedere non possumus. Ex quo eo magis consequitur, vt, quoniam sicut in corporibus dissimilitudines magnae sunt, sic in animis deprehenduntur majores varietates, vera et genuina ratio, cur tam diuersa in hominibus memoriae indoles et innumerabiles ejus effectus inueniantur, potius in ipsa animarum incredibili sit quaerenda dissensione, quam in neglecta cura aut in *sola* corporis structura, animae tantum vires mox restringente mox relaxante.

Atque hoc loco non praetereundum videtur, quod de perficienda memoria vulgo a doctoribus traditur, et inquirendum, vtrum et quatenus haec facultas emendari possit, vt praeteritorum feliciter meminerimus. Ordinem quam accuratissime obseruando, rem adtentius considerando, iterum iterumque reperendo, legendo ac relegendo, aut nobiscum iterum ac saepius transeundo, atque cum aliis quam possumus plurimis rebus combinando et comparando, optime quidem consuli memoriae alicujus rei fateor. Interim non credo, hanc esse veram ac salutarem, quam quaerimus medicinam,

qua

qua sanari possit memoria, quae vitiose se habet. Vtique hac via animae saepe infiguntur, quae alias forte non remansissent, et si quis hoc memoriam perficere dixerit, habemus quod petimus. At, quaeso, quid iuuat debili memoria praeditum hos exantlassē labores, num in posterum maiore felicitate discet? Quodsi ergo per hoc remedium non emendatur ipsa adprehendendi facilitas conseruandi, reuocandique ideas; et non nisi in hoc vel illo speciali casu memoria subleuatur; medicina non erit, saltem multo infirmior quam morbus; et nunquam qui has regulas obseruat, sanasse dici potest et validiorem reddidisse memoriam. Quibus propositis eluceat oportet, neque vsu, neque his praeceptis suam sibi propriam huius facultatis naturam quemquam, vt credo, meliorem facere; quamuis refragari non ausim, illa sequendo posse memoriae mandari indefesso labore sic multas res, vt ne abeant periculum non sit. Hinc commendanda utique puto illa cuique ingrata laboranti memoria, quo facilius in casu obuiio inopiae suae mederi quaeat, quam tamen curam in quouis alio neutiquam putet negligendam.

Neque aliter sentiendum de illa arte, quae in subsidium infirmae ac debilis memoriae inuenta dicitur, a multis perperam celebrata summis laudibus. Ipsa enim haec ars mnemonica vtr vt miros possit producere effectus, et stupenda rerum multitudine memoriam quasi onerare, tantum tamen abest, vt ad corroborandam et amplificandam memoriae vim ipsam conducatur, vt potius animae ipsi haud parum obsit. Non quidem quod facultates superiores deperdere putem, qui infe-




riores colit, atque hinc eximia praestantique memoria reliquis facultatibus aliquid derogari; sed quod, qui onerare tali modo memoriam consuevit, memoriam onere citius succumbere periclitatur. Scimus enim, haud raro, qui nimis memoria abutitur, maxime in iuuentute, labentibus annis hebetiorem nancisci. Itaque artificiosa memoria, me iudice, est quidem emendata memoria; at illa ars, qua emendata est, ipsam facilitatem recordandi non emendauit, nisi in illis ipsis tantummodo rebus, quibus in hoc genere industria studio et diligentia exercitati mentem suam onere quasi obtulerunt. Adde, quod illa arte nunquam felici successu vtuntur, praeterquam qui memoria iamjam instructi sunt excellentes; vt potius pro remedio habenda sit, quo felix memoria ad tempus incredibilem rerum multitudinem capere, non quo infelix semel perfici possit, vt eo facilius in posterum meminerit. Vtitur enim artificiosa memoria primo plerumque imaginibus apte inuentis, congruenter ornatis et conformatis illi rei, cuius meminisse volumus; deinde interdum locis, in quibus ordine collocantur et imagines et ipsae res; et non raro denique infinita tam verborum quam numerorum copia, quibuscum combinatur id, quod vt in posterum nobis expeditum sit recordari cupimus; hac mente, vt per legem imaginationis, simulac illa redeunt, haec quoque adsint. Iam vero illae ipsae imagines, numeri, vocabula, et quaecumque hunc in finem adhibeantur, quodsi, quaequo, aut non manserunt in memoria, aut non redeunt, quemadmodum redire quidque conueniat, num iuuabit, artis praeceptionibus vsus esse? num meminerimus

rimus felicius rei ipsius, cuius imaginis jam recordari non possumus? Quare naturalis memoria si cui data egregia non est, in qua tanta rerum multitudo haerere et ita possit haerere, ut in tempore succurrat, nunquam hac arte facilius meminerit, et tum maxime, quum parum ingenii habeat. Ergo memoriae mandari posse per illam sat multa lubens concedo; sed naturalem vim memoriae exsuscitari, corroborarique et confirmari, ut fiat ex difficili memoria facilis, id vero pernego; et qua demum ratione hoc fieri possit, et utrum unquam factum sit, nusquam inuenire memini, nec sum exemplis edoctus. Optandum sane esset ejusmodi remedium, optimeque meritum de toto genere humano sese redderet, qui illud inueniret, quod tamen utrum certius a Philosophis an a Medicis petendum sit nescio. Quum enim memoriae diuersitas, ut ex antea dictis adparer, non tantum in animarum, quamquam id maximum est, sed quodammodo etiam in corporum natura admodum diuersa lateat, utrorumque vtilis esse possunt disquisitiones. Interim tanto magis de Medicis, pro illorum parte, bene sperari posse arbitror, quanto perfectiorem in illis scimus corporis notitiam esse, quam in Philosophis animarum. Qua de causa non desperandum, fore olim ut vitiositati memoriae, quatenus a corpore pendeat, curatio felix adhibeatur. Cui tamen rei non parum obstat, quod, quibus legibus adstricta sit corporis harmonia et animae, ignoremus; et quibus partibus corporis solidis et fluidis, et qua ratione illis utatur anima in exercitio facultatum suarum aequae nesciamus, ac animarum ipsam naturam. Quale

D 3

hoc



hoccunque est, certe in hoc tam Medici quam Philosophi non male operam collocarent et labores, etiamsi optatis aut fero aut omnino non responderet fortuna.

De vtilitate enim memoriae quid tandem plura commemorem, quum constet inter omnes, nihil illa esse excellentius, nihil magis necessarium, vel in omni genere vitae, vel in scientiis et artibus; neque quisquam inueniatur, quin concedat, illam tanti ponderis esse in quouis animante, animali et non animali, homine et bruto, vt illa sublata animans dici non mereatur. Per se quidem memoria neminem reddit doctum, neminem prudentem aut virtuti deditum; per se efficit neque Philosophos neque artifices. Est hoc intellectus et voluntatis regnante ratione. Attamen quoniam quod intellectus agnouit, perspexit, aut ipse inuenit, quod voluntas concupiuit, elegit, aut ad quod extrinsecus determinata est, id memoria, instar fidi thesaurarii, suo quodque loco seruat, vt intellectus pariter ac voluntas, si quando indigeat, inde depromere possit, huic sane nostrae facultati iure possumus, si non primas, bene tamen secundas partes tribuere. Quodsi enim haec negligentius depositum asseruat, aut creditum pertinax non nisi diu multumque flagitata soluit, quid tum operosissimi intellectus labores! quid optima voluntatis decreta! Oleum atque operam perdidit, qui quod hodie didicit, hausit, expressit, cras omne quasi in aquam scriptum inuenit.

Est igitur felix memoria haud leue munus, quod eo magis grato animo agnoscere debent, qui illo donati sunt; neque, vt saepe fit, ad vanas ac nihil profuturas, multum etiam



etiam prauas et periculosas artes aburi, aut per socordiam pati defluere. Maxime vero in iuuentute decet, hanc animae nostrae praeclaram facultatem virtutum praeceptis et scientiis ornare quam plurimis; quippe quum, quae in flore aetatis rite didicimus, plerumque ita inbibamus, vt ad seram vsque senectutem permaneant. Constat autem inter omnes, omnis eruditionis solidum fundamentum esse Philosophiam, eamque hinc ante omnes reliquas scientias probe addiscendam. Quae quum ita sint, mihiq; ab *Amplissimo* et *Nobilissimo* hujus vrbs *Senatu*, Academiae nostrae *Compatrono Munificentissimo*, Philosophiae Professoris prouincia benigne sit concessa; vobis, viri clarissimi et honoratissimi, suauissimi Dnn. Commilitones, ad studium hujus scientiae pro virili parte et meas scholas patere his subnectere volui; qui quidem, tam in philosophicis, quam in mathematicis, iisque et theoreticis et practicis, quorum pars floret in primis in pace, pars nec inter arma filet, vestris commodis, vt huc vsque feci, in posterum semper seruire nullus dubitabo, et quales futurae sint praelectiones suo tempore pro more indicabo. Scribebam Rostochii, anno 1778, mense Iunio.



Faint, illegible text on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.

2  
FV  
N  
P. 150.  
W




ULB Halle  
004 517 601

3



TA → OL **f**  
nur 1+8 verknüpft





B.I.G.

Farbkarte #13

22

2/1

1778, 1.


DE  
M E M O R I A

BREVIS COMMENTATIO PHILOSOPHICA,  
QVA

IN HVIUS FACVLTATIS  
NOTIONEM AC INDOLEM,  
TAM IN BRVTIS, QVAM IN HOMINE,  
PAVCIS INQVIRIT;  
SIMVLQVE

FLORI DELIBATO HVIUS ALMAE,  
CLARISSIMIS ET HONORATISSIMIS  
DNN. COMMILITONIBVS SVIS,  
PROVT MVNERIS RATIO POSTVLAT,  
OFFICIA SVA LVBENS OFFERT

GVSTAV SCHADELOOCK,  
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET METAPHYSICES PROF. P. O.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

